

R. P. Leopoldus Michálek (1794-1857)¹

P. Michálek, unus ex amabilissimis S. Clementis discipulis, Bohemico genere natus est Vindobonae 29 Oct. 1794. Ibidem in Seminario theologiae studens, per commilitonem Ioannem Madlener adductus est ad amicitiam illius viri apostolici, qui tunc faciem magnae urbis paulatim renovabat; intellige S. Clementem Mariam Hofbauer. Ordinatus 29 Aug. 1819, primitiarum contionatorem habuit amicum Madlener, et postea ambo a S. Clemente ad agapen invitati sunt.

Postquam Leopoldus Michálek per biennium sacerdos saecularis Vindobonae sacro ministerio functus est, Congregationi nomen dedit et festo B. Alfonsi 1822 vota nuncupavit. Deinceps, modo subditus, modo Superior, usque ad a. 1827 Vindobonae ad Scalas Marianas constitutus, 1827-1833 Oeniponte, 1833-1839 iterum Vindobonae. Hoc ultimo anno exultabundus Romae interfuit sollempni canonizationi Fundatoris. Domum redux renunciatus est Rector collegi Marburg, postea derelicti, et exacto triennio primus Superior novae Provinciae Austriacae (at nomine potius, quam re, propter leges Iosephinas). Annis 1849-1856 hospitio Maria Schnee praefuit, sicut supra p. 151 dictum est. Placidissime in Domino obdormivit Pragae 6 Martii 1857, assistente sibi amico fidelissimo Ioanne Madlener.

P. Michálek erat anima candida et pia, exemplar humilitatis, mansuetudinis, observantiae regularis. Nunquam in conversatione vocem attollebat; nunquam altercabatur; omni re contentus erat. Assiduus erat in tribunali poenitentiae, et cum inde ex a. 1849 veras missiones Alfonsianas habere licuisset, Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Austriam Inferiorem apostolico zelo evangelizavit. Eius mors Congregatis, qui Patrem mitissimum non minus amaverant quam venerati erant, singulariter commovit. Cadaver per triduum mansit expositum sine ullo corruptionis signo. Vultus erat candidissimus et viventis instar amabilis. Cum terrae comittebatur in coemeterio Vyšehrad, ultra 30 sacerdotes aderant. Eodem sepulchro post undecim annos P. Madlener conditus est.